

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
LUMBAGINE RHEVMATICA

QVAM  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE ELECTORALIS  
MOCVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ASSESSORE  
FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

DIE OCTOBR. MDCCLV.

H. L. Q. C.

PVBlicAE ERVDITORVM CENSVRAE  
SVBMITTIT

CAROLVS IOANNES STOCK,

OPPOLIA-SILESIVS,




---

FRANCOVRTI AD VIADRYM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACAD. REG. TYPOGR.

DISSERTATIO INVAQUANTIA MEDICA  
DE  
LUMBAGINE RHEVMATICA

AVCTORE  
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IOHANNIS FRIDERICI CARTHEVSER  
M.D. DOCT. ET REG. VICE-ACADEMICI REGURIAE  
REGENTIAE ISONTIAVM VTIQVE ABBATIS

FACULT. MED. R. T. DICANO  
PRO GRADU DOCTORIS

EXAMINATA IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
SITAE ACADEMIAE REGURIAE  
DIE OCTOBR. MDCCCLX.


PUBLICE ERVDITORVM CENSURA  
EXCUSATA

CAROLVS IOHANNES STODT  
REGENTIAE

REGURIAE

FRANCOFURTI MDCCCXVI  
JOHANNIS CHRISTIANI WITTELI  
REGURIAE





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
LUMBAGINE RHEVMATICA.

---

PROOEMIUM.

**S**i ulla ægritudinum species miseros mortales ad anxia suspiria et frequentes querimonias cogit, crebroque mutatam tragædiam ludit, versipellis sane atque nequissimus *rheumatismus* est: Nunc enim per artus aliaque corporis membra celeriori progressu vagatur, eademque ut plurimum

rimum breviori duntaxat tortura afficit, nunc fixius huic vel illi capitis, thoracis et abdominis parti inhæret, suamque tyrannidem diutius exercet, et utroque igitur modo morbos multos ac varios, non nomine tantum, sed subinde etiam genio atque symptomatum atrocitate valde discrepantes, vertiginem v. g. cephalalgiam, hemicraniam, susurrum aurium, otalgiam, obauditionem, visus obscurationem, odontalgiam, deglutitionem, ac respirationem difficilem, hæmoptysin, tussis rebelles, phthisin pulmonalem haud raro post se trahentes, pleuritidem spuriam, palpitationem cordis, cardialgiam, anxietates præcordiales, tormina ventris, lumbaginem, pluresque adfectus alios, qui cum allegatis largissimam amplæ pathologiæ conscribendæ materiam suggerunt, provocat. Magnum profecto campum hic apertum invenio, in quo, si multiplicem ac pravam pessimi hujus parentis progeniem speciali atque prolixæ contemplationi subijcere placeret, longe lateque discurre

rere

rere possem: Verum, hac vice ob varias rationes altius istud ingredi et nequeo et nolo, sed solius duntaxat *Lumbaginis rheumaticæ* naturam atque curationem paullo uberius exponere constitui. Desinam igitur plura rheumatismum concernentia generalia præmittere, et confestim potius ipsius lumbaginis tractationem exordiar.



§. I.

**L**umbago rheumatica, alias etiam *Nephritis spuria* nuncupata, dolor fixus atrocissimus est in regione lumbari, nunc magis versus renem et ipsos nonnunquam ureteres, ad vesicam usque, penetrans, nunc magis ad os sacrum descendens, adeoque sæpe sæpius nephritidem veram, aut sic dictum spasmus fixum Paracelsi mentiens.

§. II.

Maxima similitudo, quæ hunc adfectum, sicuti dictum fuit, et dolorem nephriticum verum, spasmusque fixum Paracelsi, sive immanes ossis sacri cruciatus, tum sedis, tum atrocitatis intuitu, intercedit, circumspæctos quoque ac rationales medicos haud raro in

præcticos errores præcipitat, eosque eo deducit, ut lumbaginem pro nephritide vera a), vel etiam, si dolor scilicet sese magis ad os sacrum demittat, pro spasmo fixo Paracelsi habeant, adeoque curationem in ægrorum detrimentum sinistre instituant, et veram inprimis nephritidem, quæ nondum aderat, frequenti diureticorum fortiorum usu producant. Unde facillime etiam patescere arbitratur, quod multum omnino inter-

a) THOMAS SYDENHAMIVS, licet doctissimus quondam expertissimusque medicus fuerit, errorem hunc non penitus in praxi sua evitare potuit, sed aliquoties sese in illum incidisse, ingenue in *Opusculis suis Sect. V. cap. 5. p. m. 260.* fatetur: „Est et alia, inquit, hujus morbi (scilicet rheumatismi) species, licet non hujus esse profapiae vulgo credatur, quæ *Lumbago rheumatica* aptissime dicitur: Immanis dolor sc. idemque fixus circa lumborum regionem, ipsumque aliquando ad os sacrum se demittens, *Paroxysmum nephriticum* mentitur; nisi quod æger non vomituriat: nam præter dolorem atrocissimum et vix ferendum circa ipsos renes, aliquando et ureteres per omnem eorum ductum, ad vesicam usque, eodem, licet mitiori, tentantur. Qui et mihi olim imposuit, tanquam a materia aliqua fabulosa in iis partibus hærente penderet; cum re vera materiae *Rheumatismi* peccanti et inflammatae ortum suum debeat, quæ quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore. &c. &c.



interfit, ut morbus hic, suscepta adcurata sedis atque  
symptomatum contemplatione ac comparatione, de-  
bite ab adfectibus symbolizantibus discernatur.

§. III.

Dolor, qui essentiam hujus morbi constituit,  
ac modo remissior tensivus, pressorius, gravativus,  
modo, præsertim sub corporis motu, inclinatione et  
erectione, acutissimus scindens, pungens, terebrans,  
lancinans est, valde, sive genium sive atrocitatem spe-  
ctes, cum torminibus, quæ, spasmo fixo Paracelsi et  
nephritide vera calculosa laborantes, persentiunt, con-  
venit, adeoque hoc loco parum vel nihil lucis foene-  
rari videtur, sed præcipua differentiae criteria a sede  
primaria, et symptomatibus quibusdam, memorata-  
rum specierum cuique propriis, desumenda erunt.  
*Dolor* nimirum *rheumatico-lumbaris* musculos lumbo-  
rum externos præcipue torquet, ibidemque etiam, li-  
cet paullulum aliquando ad os sacrum descendat, aut  
renes quoque, ureteres et vesicam, quoties internos  
scilicet musculos lumbares simul occupavit, consen-  
sualiter infestet, ipsamque ideo diuresin subinde non-  
nihil turbet, fixam, quamdiu perdurat, sedem retinet;  
*nephriticus* ex adverso renem et ureterem proprie ex-  
cruciat, situmque proinde profundiozem habet,

et

et in externa lumborum regione solummodo levio-  
rem quandam ardorem producit, magisque præterea  
ad pubis regionem et intestina extenditur, immo al-  
tius in abdominis cavitatem penetrat, et varia igitur  
pathemata, urinæ scilicet suppressionem, stuporem  
cruris ejusdem lateris, retractionem testiculi in mari-  
bus, acerbissimos coli dolores, refractariam alvi ad-  
strictionem, et vomitum creberrimum, cujus plenaria in  
lumbagine absentia præcipuum certissimumque diffe-  
rentiæ signum præbet, provocat, et *dolor* denique,  
quem *spasmus fixus Paracelsi* infert, quique impetuosa  
cruoris congestioni originem debet, et unice fluxus  
hæmorrhoidalis ac menstrui anomaliis succedit, in ex-  
ternis saltim partibus musculosis circa os sacrum et coc-  
cygis, adeoque in infima dorsi regione sævitiem suam  
maxime exercet, et rarius, si diuturnior sit ac magis  
magisque ingravescat, ad regionem lumbarem ad-  
scendit, sed frequentius sese versus utrumque aut al-  
terutrum os ischium, ad femur usque, diffundit, eas-  
que partes, nisi vehementi semper dolore, rigore ta-  
men aut extraordinario stupore, afficit, et valde in-  
primis, quod notabile rursus signum diagnosticum  
censendum erit, post incalescentiam in lectis pluma-  
ceis exacerbatur a).

§. IV.

a) Conf. CHRIST. SAM. GEBAYERI Diff. de  
*Spasmo fixo paracelsi* p. 18.

GEORGIUS BAGLIVVS ad pathognomonica ac plane infallibilia lumbaginis signa etiam singularem quendam dolorem refert, qui sub corporis inclinati erectione oritur, et lumbos totumque corpus inferius secundum patientis expressionem per medium quasi scindere videtur: „Dolorem lumborum rheumaticum, *inquit a*), a nephritico per hoc certissimum signum, distinguere poteris: Pete ab ægro, an, dum in terram incurvatur, et inde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium quasi scindi videatur; si hæc adsunt, pro certo habeto, dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum, productum scilicet ab acribus et muriaticis salibus per serosum humorem illinc depositis etc. Verum enim vero, mea non minus, quam aliorum experientia edoctus, reticere nequeo, signum hoc, etiamsi in lumbagine ordinario adsit, haudquaquam infallibile esse, sed istud in graviori pariter nephritide calculosa et exacerbato spasmo fixo Paracelsi observari, et ambulandi igitur impotentiam, spinæ dorsalis inflexibilitatem sive rigiditatem, ac memoratum dolorem tensivo-vibrativum acutissimum, corporis incurvati erectioni supervenientem, minime specificis rheumaticæ lumbaginis,

B

sed

a) *In Operibus p. m. 116.*

sed communibus potius hujus, nephritidis calculosæ et spasmi fixi Paracelsi symptomatibus accensenda esse.

## §. V.

Simile prorsus judicium etiam de plerisque reliquis symptomatibus, de animo videlicet dejecto, rerumque levissimarum impatientissimo, inquietudine corporis maxima a), somno turbulento, adpetitus imminutione aut prostratione, intercurrentibus horripilationibus, iisdemque utplurimum succedentibus sanguinis ebullitionibus, febrili humorum commotioni valde analogis etc., ferre nullus dubito, et alvi tantum et urinæ excretiones, quæ desideratæ differentiæ cognoscendæ aliquid subinde lucis adfundunt, quodammodo excipiendas duco. Nam sola *tumbagine rheumatica* præsentē, alvi quidem segnities adest, et urina quoque interdum parcius aut saltim difficilius cum molesta stranguria fluit, nunquam vero perfectæ harum excretionum suppressio notatur; sæviēte autem

a) „Immanis hic dolor, *antea laudatus SYDENHAMIVS l. c. scribit*, nisi abigatur, eodem modo, quo „prior species, pariter etiam perdurat, pari sævitia excrucians; adeo, ut miser nequeat procumbere, sed vel e „lecto exiliat, vel super eodem erectus sedeat, corpore „interim perpetua agitatione nunc versus anteriora, nunc „posteriora inclinato, reductoque.

tem *nephritide calculosa*, alvus plerumque pertinacissime obstruitur, et lotii excretio vel plane planeque sufflaminatur, vel istud exigua admodum quantitate ac saltim guttatim cum magno dolore et anxietate emittitur, et sub *fixi* tandem *spasmi Paracelsi* tormentis diuresis non magis quidem, quam in lumbagine graviori, impedita reperitur, alvus tamen refractariam obstructionem patitur, cui sæpius sese pruritus in ano atque tenesmus molestissimus associant.

§. VI.

Nonnulli ex urinæ quantitate ac sedimento aliqua etiam differentie criteria certa depromi posse opinantur; at hæc pariter signis fallacibus adnumerare plane non ambigo. Nam, quis practicum nescit, calculis grandioribus et compactis pelvi inhaerentibus, tenuem in principio pallidamque urinam, quæ nullum prorsus sedimentum sabulosum habet, excerni? immo, cui ignotum est, urinam, quam scorbutici, arthritici, hypochondriaci, itemque *spasmo fixo Paracelsi*, aut lumbagine, aut rheumatismo vagabundo laborantes emittunt, interdum sub transitu suo per vias urinarias indiscriminatim valde ardentem ac morsicantem esse, et, post refrigerationem aliquam, copiosam, eamque subtilissimam, materiam salino-tar-

taream rutilantem, matulæ fundo atque lateribus pertinaciter adhaerentem, vel mucido-sabuloso-lateritiam deponere? „Symptoma illud scorbuticum, IOH. ALLEN scribit a), mendaci specie calculum præ se ferens, (de quo *Dravistur*) non solum scorbuticis, sed etiam hypochondriacis familiare est: Tartarus sub specie sabuli rutilantis ut plurimum in urinæ subsidentia se prodit, quandoque in atomis adeo subtiliter divisus, ut visum fere effugiat, lateribus vero matulæ firmiter adhaerere solet; tormina *nephriticis* æmula concitatur, et his comitem se adjungit stranguria fere continua. &c.

## §. VII.

Haftenus expositis, nephritidis calculosæ, spasmi fixi Paracelsi, et lumbaginis differentiam concernentibus, nunc de discrimine pariter, hunc morbum, *nephritidem inflammatoriam* seu stricte ita dictam, et *coxagram* intercedente, nonnulla subnectere possem ac vellem, nisi compertum haberem, nephritidem inflammatoriam sese febre continua acuta facillime a lumbagine, quæ nunquam febrem completam pedissequam adducit, distinguere, et circa coxagræ etiam

a) In *Synopsi universæ medicinae practicæ* Cap. 7. art. 56. p. 270.

diagnosin, ob situm hujus doloris a regione lumbari paullo remotiorem, non facile errorem metuendum esse. Relinquam igitur hanc semioticæ tractationis partem, ac protinus ad causarum evolutionem progrediar.

§. VIII.

Circa determinandam causam materialem, quæ sub largiori decubitu suo et refractaria inhæsiōne pungendo, morficando, aliove modo fibras nerveas irritando, impetuosas ac summe dolorificas constrictiones spasmodicas in musculis lumbaribus excitat, scriptores medici in partes abeunt, alique hunc et quoscunque alios dolores partium rheumaticos unice ab acerrimo humore seroso-lymphatico derivant a), alii ex adverso, iique pauciores, cum SYDENHAMIO b) sanguinem inflammantem, tenacissimamque pituita mirifice refertum, primario adcusant. Quod me atti-

B 3

net,

a) Conf. Baglivus l. c. et Ioh. Allen cap. 9. art. 56.

b) „Cum utraque hæc morbi species, sic l. c. de „rheumatismo et lumbagine loquitur, ab inflammatione „videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt Phænomena, tum præsertim sanguinis venæsectione educi color, „utpote qui Pleuriticorum sanguini tam est similis, quam „ovum ovo, neque quisquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare, vel quidem dubitaverit &c.

net, nec horum nec illorum sententiæ simpliciter sub-  
scribere possum, sed utramque potius, diversis tamen  
temporibus et in diversis subjectis, admittendam esse  
cenfeo. Nam licet certo quidem certius sit, quod  
humor seroso lymphaticus, recrementis salinis muri-  
aticis aut salino-tartareis, scorbuticæ aut arthriticæ  
prospiciæ, largissime remixtus, frequentissima hujus do-  
loris causa existat, nec ullum tunc in parte affecta tu-  
moris aut ruboris vestigium cernatur, adcurata nihilo-  
minus ac repetita quorundam observatione abunde  
pariter comprobatum est, subinde, quæquam paullo  
rarius, in parte dolente levem quendam tumorem ac  
ruborem inflammatorium observari, et ægros insuper,  
post debilem citoque transeuntem horripilationem,  
tam frequentes ac vehementes experiri sanguinis uni-  
versi commotiones, ut veram febrim dolori compli-  
catam esse credant.

§. IX.

Probe præterea notandum erit, humorem pec-  
cantem in serosis etiam atque lymphaticis adfectibus  
rheumaticis non semper eandem, sed satis quoque di-  
versam qualitatem obtinere, ac modo valde tenuem,  
muriaticum, acerrimumque esse, modo tenacem ad-  
modum salino-mucosum, adeoque spasmos dolorifi-



cos nunc solo hostili stimulo, nunc vellicatione inimica, et pertinacissima insimul inhæfione atque obstructione suscitare. Quare istos quoque prudentius acturos existimo, qui rheumatismum in *frigidum seroso-lymphaticum*, ac *calidum sanguineum* distinguunt, et hunc a sanguine abundante, bilioso, ac solito spissiori, illum vero a mucidis a), et acris, falsis, urinosis b), et subinde etiam acido-tartareis quisquiliis, seroso et lymphatico latici copiose immerfis, deducunt.

§. X.

a) CAROLVS DRELINCVRTIVS acres mucidosque humores seroso-lymphaticos apud rheumaticos sub stasi diuturna interdum e vasculis ruptis aut exelis plane exundare, et in musculorum superficie, uti hoc aliquando in homine, rheumatismo tandem extincto, observavit, gelatinæ instar, in crassam densamque massam concrefcere testatur. Vid. GODOFR. BERGERI *Diff. de Rheumatismo* p. 19.

b) GVILHELMVS MVSGRAVE, qui humorum lentorem in rheumatismo magis quoque ab acri sale alcalico, quam acido, fieri arbitratur, serum rheumaticorum syrupo violarum viridem colorem inducere, et post mercurii sublimati, in aqua soluti, miscelam sedimentum albissimum deponere, immo, eandem mercurii solutionem, pelliculæ, sanguini innatanti, ad aliquot guttulas affusam, superficiem ejus albidam reddere, in *Diff. de Arthritide symptomatica* Cap. 2. articul. 4. p. 7. refert.

Præter indicatam causam materialem attente etiam in lumbagine et quovis alio pathemate rheumatico ad complicatam partium solidarum, et nervosi inprimis systematis imbecillitatem respiciendum est, quippe quæ generandæ, retinendæ, adeoque magis in dies magisve augendæ impuritati humorum acri ac mucidæ admodum famulatur; quandoquidem inde etiam primaria petenda erit ratio, cur subjecta, teneriori ac sensibiliiori fibrarum textura prædita, cujus census v. g. cholericæ sunt, itemque sanguinea et sanguineo cholericæ, præ reliquis rheumatismi insultibus obnoxia inveniantur. Immo, inde pariter ratio manifesta redditur, cur homines, abusu veneris, laboribus nimis, hæmorrhagiis enormibus, nimis frequenti purgantium atque sudoriferorum usu, meditationibus profundis, curis, crebriori terrore et iracundia, aliisque animi adfectibus exorbitantibus debilitati, præsertim senio appropinquante, rheumaticos cruciatus frequentius experiantur, et eorum quoque exacerbationem autumnali inprimis ac vernali tempore, quin imminente quacunque propemodum tempestatis mutatione, magis persentiant.

§. XI.

Causis procatarteticis vix recensitis, suumque symbolum indirecte tantum seu mediate ad materiae rheumaticae genesis, adaccumulationem, facilioremque decubitus conferentibus, nunc istae pariter, quae dicta strictius et propiori magisque immediato effectu praestant, improvida nimirum ac repentina corporis, praesertim diurno aut nocturno tempore aestuantis, refrigeratio, esculenta nimium salsa, viscida, concoctu difficilia, potulenta spiritiuosa, iusto largius hausta, defectus potus sufficientis, vita sedentaria, febres intermittentes praemature cohibitae, diarrhoeae criticae imprudenter suppressae, purpura scorbutica retroacta, et defectus aut suppressio fluxus menstrui atque haemorrhoidalis, jungendae veniunt; Postremae haec, et inter hasce rursus fluxus menstrui et haemorrhoidalis obstructions et anomaliae adcuratam imprimis considerationem merentur, quoniam adfectibus rheumaticis et arthriticis producendis praeter omnibus fere aliis causis occasionalibus aptissima reperiuntur, quemadmodum hoc FRIDERICVS HOFFMANNVS, medicus quondam expertissimus, suo pariter testimonio confirmat: „Nihil magis, sic verba ejus sonant a), in praxi occurrit, C „quam

a) In *Med. Syst. T. IV. p. 435.*

„quam quod fæminæ, præsertim fanguineæ comple-  
 „xionis, post quinquagesimum annum, prorsus ces-  
 „sante fanguinis fluxu, nisi tempeftive venæfectionibus  
 „occurratur, vagis et gravibus, hinc inde in partes ir-  
 „ruentibus, dolorum tormentis adficiantur. Neque  
 „amplius incognitum esse potest in arte exercitatis,  
 „hæmorrhoidalem fluxum confuetum, si debito mo-  
 „do et tempore procedit, a doloribus et rheumaticis  
 „et arthriticis viros immunes præstare posse; quibus  
 „sub ejusdem fluxus defectu vel suppressione tandem  
 „obnoxii fiunt &c.

§. XII.

Circa prognosin pleraque lumbagini adplicari  
 possunt, quæ in hac parte generatim de rheumatismo  
 valent; quare paucis saltim hoc loco indicasse suffi-  
 ciat, dolorem hunc, licet atrocissimus sit, et satis diu  
 nonnunquam musculis lumbaribus inhæreat, vitæ pe-  
 riculo vacare, nec ominosa unquam pathemata me-  
 tuenda esse, nisi materia hæctenus refractarie subsistens,  
 rursus ad motum redeat, et, magis ad interiora corpo-  
 ris translata, intestina, pulmones, cerebrum etc. oc-  
 cupet. In junioribus, majori adhuc partium robore  
 pollentibus, facilius tollitur, in ætate provectioribus au-  
 tem, dudum ad senectam inclinantibus, ac valde pri-  
 dem

dem debilitatis, radicalem curationem, præsertim si per moras diuturniores, ac sæpius iteratam invasionem jam valde invaluerit, rarissime vel nunquam admittit, sed identidem, sub tempestatum mutatione, aut commisso levissimo errore diætetico, recurrens, patientes per totum reliquum vitæ decursum mirifice vexat. Solvitur plerumque blanda diaphoresi, aut forti aliquando sudore, vel copioso ac critico impuratum tartareo-salino-mucidarum cum urina secessu, vel macularum quoque, pustularum, aliarumque efflorescentiarum purpuratarum eruptione, immo, si calidioris sanguinæ indolis sit, hæmorrhagia narium apud subjecta juniora, et fluxus hæmorrhoidalis apud seniora superveniens, eundem haud raro perfecte tollit, vel valde tamen mitigat.

§. XIII.

Curando huic morbo singula, quæ resolvendi, temperandi, depurandi ac roborandi sine in reliquis adfectibus rheumaticis proficua reperiuntur, generatim inserviunt, non promiscue tamen adhibenda, sed pro differenti causæ materialis indole, quæ, uti ex præcedentibus constat, vel calidior bilioso-sanguinea est, vel magis frigida muriatico-mucido-serosa, modo hæc, modo illa seligenda erunt. Sæpe laudatus s x-

DENHAMIVS, aliique medici satis celebres largam, ac crebro repetitam *phlebotomiam* optimam atque commune deprecant remedium; attamen assensum ipsis simpliciter ac citra limitationem largiri nequeo. Nam licet quidem verissimum sit, quod phlebotomia in rheumatismo sanguineo, praesertim si fluxus menstrui et haemorrhoidalis anomaliae apud subjecta plethorica praecipuam illi occasionem suggerant, insigni levamen adferat, viamque reliquae curationi egregie pandat, simul nihilominus frequenti observatione comprobatum est, eandem parum vel nihil auxilii in rheumatismo frigido, ubi latex seroso-lymphaticus acrimonia et muciditate peccat, adferre, sed saepius administratam solidas partes robore suo magis privare, adeoque aegri statum certius deteriorem, quam meliorem reddere. Quare pro meo etiam iudicio tutius erit, curationem rheumatismi calidi sanguinei cum larga venesectione, frigidi ex adverso sive seroso-lymphatici medelam cum blanda ventris purgatione, per laxantia mannata, rhabarbarina, aliaque leniora procuranda, exordiri, et postea pariter remedia haec congruo tempore ac loco identidem repetere, ut in casu priori sanguis abundans imminuatur, spissus, densus, ad coagulum pronissimus, ventiletur, et impetuosa congestiones ejus versus partem dolentem avertantur, in casu

poste-

posteriori autem non tantum saburra impura, in prima  
culina stabulans, fomitemque continuum præbens, sed  
sensim quoque aliqua materiæ acris ac mucidæ portio  
ex ipsis vasculis seroso-lymphaticis per glandulas inte-  
stinales subtrahatur.

§. XIV.

Subinde in statu calido sanguineo præter venæ-  
sectionem, pro partis aut partium affectarum situ mo-  
do in brachio, modo in pede instituendam, etiam *scar-*  
*rificatio*, itemque, si cæcæ nimirum hæmorrhoides urge-  
ant, *hirudinum applicatio* utilissima reperitur, deinde  
autem *diluentia*, *demulcentia*, *temperata resolventia*, et *an-*  
*torgastica*, cum *lenioribus diaphoreticis* mixta, v. g. *serum*  
*lactis*, cremore tartari aut pulpa tamarindorum præci-  
pitati, *decotta* ex hordeo, avena, radice glycyrrhizæ,  
scorzoneræ, graminis arvensis, cichorii, taraxaci, ligno  
sassafras, semine foeniculi, etc., nec minus *pulveres*  
ex absorbentibus terreis, nitro depurato, arcæno du-  
plicato, sale acetosellæ et cortice cascarillæ, ut et *po-*  
*tiuncula* et *emulsiões* ex aqua flor. acaciæ, tiliæ, sambu-  
ci, ceraforum nigrorum, endiviæ, amygdalis dulcibus,  
feminibus quatuor frigidis majoribus et minoribus,  
sem. cardui benedicti, cardui Mariæ, et memoratis  
pulverulentis paratæ, maxime conveniunt, immo

-idæ

C 3

mixtu-

*mixturæ concentratiores* ex spiritu nitri dulci, essentia melissæ, cort. citri, succini etc. non contemnendum quandoque auxilium præstant, si parcius exhibeantur, et usus eorum tantum per intervalla præcedentium usui interponatur.

§. XV.

Adductorum singula in rheumatismo frigido seroso-lymphatico itidem quidem tutum inveniunt locum, tollendæ tamen humorum muciditati et acrimoniæ haudquaquam sufficiunt, sed, præmissio purgante aut emetico (quod posterius MVSGRAVE valde commendat), paullo *potentiora* quoque *attenuantia*, *diuretica* et *diaphoretica*, ut et *validiora* quædam *edulcorantia* in usum trahenda sunt. Prioribus essentiam pimpinellæ albæ, cort. aurantium, gentianæ rubræ, trifolii fibrini, scordii, millefolii, asæ fœtidæ etc., extract. cardui benedicti, cent. minor., fumaricæ etc., oleum cajuput, liquorem cornu cervi succinatum, spiritum bezoardicum Bussii et hisce similia accenseo; ad posteriora autem aquas foterias minerales Antonianas, Selteranas, Schwalbacenses, Spadanas, Egranas, quin ipsas nonnunquam Pymontanas, itemque lac recens coctum, et cum aqua Selterana aut infuso theæ orientalis tempore matutino largius haustum, referri posse arbi-



arbitror. Nec silentio etiam prætermitti debet, roborantia austeriusculo-amara, quorum præcipua rhabarbarum æstimo et genuinum corticem Peruvianum, optatum curationis successum egregie pariter promovere, præsertim, si prava demum humorum qualitate paulisper emendata, adhibeantur, et prius creberrima inprimis, eaque paullatina, manducatione adsumatur.

§. XVI.

Topica, in lumbagine externe adplicanda, pro speciei ac causæ materialis differentia, æque, ac interna remedia, variant. Præsente enim statu calidiori sanguineo, cataplasma ex pane albo, in lacte ad pultis formam cocto, additoque postmodum tantillo croci, dolorem egregie mitigat, in statu frigido cacochymico autem sive seroso-lymphatico, facculi ex speciebus discutientibus balsamicis, baccis juniperi v. g., herba menthæ, majoranæ, rorismarini, floribus chamomillæ vulgaris et Romanæ, croco orientali, semine nigellæ Rom., avena tosta etc. sese magis commendant, immo in hoc casu subinde potentiora spirituosa, spiritus videlicet cornu cervi, formicarum, vini crocatus, camphoratus, aqua Anhaltina, aqua cephalica Imp., ess. castorei etc., necessaria et proficua inveniuntur. Ut nihil dicam de vivis lumbricis terrestribus,  
quo-

quorum applicatio, si tamdiu scilicet daret, donec lumbrici moriantur, magnopere a quibusdam deprædicatur. De regimine diætetico, quod, debite considerata antea memoratorum lædentium ac juvantium indole, a medico rationali facile præscribi poterit, multa addere superfedeo, et paucis tantummodo moneo, suscepta medela, ista in genere studiose vitanda esse, quæ robor partium solidarum ulterius dejicere, transpirationis cutanæ libertatem sufflaminare, et humores pluribus partibus mucido-acribus inquinare valent.



00 A 6272

f


ULB Halle 3  
002 827 158



TA-OL

Reho ✓






DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
LUMBAGINE RHEVMATICA

QVAM  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE ELECTORALIS  
MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ASSESSORE  
FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS  
DIE OCTOBR. MDCCLV.

H. L. Q. C.  
PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE  
SVMMITET  
CAROLVS IOANNES STOCK,  
OPPOLIA-SILESIVS,



FRANCOVRTI AD VIADRVM,  
TYPIBVS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACAD. REG. TYPOGR.

